

*Ecce concipies in utero et paries filium.*

✠ Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam

1, 26-38

In illo témpore:

- <sup>26</sup> **M**issus est ángelus Gábriel a Deo  
in civitátem Galiláæ, cui nomen Náza<sup>reth</sup>,  
<sup>27</sup> ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph  
de domo David,  
et nomen vírginis María.  
<sup>28</sup> Et ingrèssus ad eam dixit:  
«Ave, grátia plena, Dóminus tecum».  
<sup>29</sup> Ipsa autem turbáta est in sermóne eius  
et cogitábat qualis esset ista salutátio.  
<sup>30</sup> Et ait ángelus ei:  
«Ne tímeas, María;  
invenísti enim grátiam apud Deum.  
<sup>31</sup> Et ecce concípies in útero et páries filium,  
et vocábis nomen eius Iesum.  
<sup>32</sup> Hic erit magnus et Fílius Altíssimi vocábitur,  
et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris eius,  
<sup>33</sup> et regnábit super domum Iacob in ætérnum,  
et regni eius non erit finis».  
<sup>34</sup> Dixit autem María ad ángelum:  
«Quómodo fiet istud,  
quóniam virum non cognósco?».  
<sup>35</sup> Et respóndens ángelus dixit ei:  
«Spíritus Sanctus supervéniet in te,  
et virtus Altíssimi obumbrábit tibi:  
ideóque et quod nascétur sanctum,  
vocábitur Fílius Dei.  
<sup>36</sup> Et ecce Elísabeth cognáta tua  
et ipsa concépit filium in senécta sua,

et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur stérilis,  
<sup>37</sup> quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum».

<sup>38</sup> Dixit autem María:

«Ecce ancílla Dómini;  
fiat mihi secúndum verbum tuum».

Et discéssit ab illa ángelus.

Verbum Dómini.